



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Responsa Moralia In Causis Justitiæ Commutativæ De Restitutione & Contractibus

De Contractibus - Præcipuè ad commodum, atque usum Venerabilis Cleri
edita

Heislinger, Anton

Ingolstadij, 1726

Casus XXXVI. De Negotiatione Religiosoru[m].

urn:nbn:de:hbz:466:1-40177

CASUS XXXVI.

De Negotiatione Religiosorum.

CUjusdam Monasterij in suevia siti æconomus Religiosus dola vini à vicinis Wirtembergiæ incolis emittit, ut illa in Bavariam advecta cariùs vendat; distracto postmodum in Bavaria vino plures glebas salis emit, ac revehit in sueviam, majori has pretio in patria venditurus.

Q. 1. Utrum negotiatio propriè dicta simpliciter respectu omnium sit illicita.

Q. 2. An negotiatio Clericis atque Religiosis sit illicita?

Q. 3. An his ipsis etiam illicita sit negotiatio mediata, seu per alium?

Q. 4. Quid de præsentis casu sit statuendum?

SYNOPSIS.

§. I.

Præmittuntur quadam scitu necessaria?

- | | |
|--|---|
| 1. Emptiones, ac venditiones ex fine, ob quem fiunt, sunt diverse. | 2. Etymologia Negotiationis Explicatur, uti etiam natura. |
| 3. Sub illa non continetur emptio rerum necessariorum &c. | |

§. II.

Resolvitur primum Quæsitum.

Utrum Negotiatio propriè dicta simpliciter respectu omnium sit illicita?

6. Responsio est negativa. 5. Satisfit objectioni.

§. III.

Resolvitur secundum Quæsitum?

An Negotiatio ipsi Clericis atque Religiosis sit illicita?

- | | |
|--|--|
| 6. Strictè dicta est illis prohibita. | 13. Licet eisdem Clericis ac Religiosis emere animalia, ut saginata vendant. |
| 7. Et quidem sub gravi. | 14. Uti & fundum cum fructibus. |
| 8. Nisi una vel altera vice tantum facta. | 15. Venam ferri ut hoc ubi erutum fuerit, vendatur. |
| 9. Non quælibet emptio ejusmodi personis est illicita. | 16. Excusant negotiantes clericos sua necessitas. |
| 10. Hinc ab initio plura vini dolia possunt emere, ne pauciora non sufficiant. | 17. Esi negotiationi non insistant. |
| 11. In minoribus constituti clerici licitè negotiantur. | 18. Emere quoque uvas, ut ex his vinum exprimant, possunt. |
| 12. Si beneficijs congrua sustentationi necessarijs careant. | |

§. IV.

Resolvitur tertium Quæsitum.

An clericis aut Religiosis sit licita Negotiatio mediata, sive per alium?

19. In quo negotiatio mediata commissat? 20. Negotiatio totaliter laico commissa licet clericis.

21. *Alia quaedam circa negotiationem declarantur.* 22. 23. 24. *Satisfit objectionibus.*

§. V.

Resolvitur quartum Quæsitum.

Quid de presenti casu sit statuendum.

25. *Non erat negotiatio, si nullum lucrum fuerat intentum.* 29. *Aut ut expensæ vecturæ compensarentur.*
 26. *Ulti etiam si superfluum tantum vinum vendidit Monasterium.* 30. *Aliud tenendam, si lucri duxat gratia.*
 27. *Aut necessitas Monasterij hoc exegerat.* 31. *Excusari tamen ob receptam consuetudinem potuit.*
 28. *Vel damni impediendi tantum gratia hæc acciderint.* 32. *Non licuit equos præcisè ad hanc negotiationem coëmere ac sustentare.*

§. I.

Præmittuntur quaedam sciui necessaria?

Cum negotiatio sit species quedam emptionis, ut illius natura melius intelligatur, advertimus cum Filiucio tom. 2. Moral. qq. tract. 35. cap. 1. n. 13. emptionem, atque venditionem ex fine suo distingui. primò enim alia est naturalis, qua necessaria ad suam & familie suæ sustentationem emuntur, & superflua postmodum venduntur. secunda species dicitur artificialis, qua scilicet emitur aliquid, ut per industriam commutatum vendatur, tertio emi quædam possunt, ut integra, & immutata vendantur carius ad lucrum comparandum.

Negotiatio derivatur à nomine isto negotium quod teste Isidoro in lib. Etymol. uem. vi. c. forus de verb. signif. dictum est, ac significat sine otio, eò quòd otium impediatur, cum igitur quicumque actus circa agibilia, & externa impediatur otium, non immeritò illi nomine negotij venient, Negotium autem strictè sumptum, seu negotiatio est commutatio ad lucrum comparandum: cum scilicet emamus, aut alio permutationis genere rem quandam acquirimus, ut illam non mutatam carius vendamus; aut alia quadam ratione cum lucro permutemus, vocari autem
 Yyy 2. ejus-

eiusmodi actus præ cæteris, con-
sueverunt negotiationes, eò quòd
ante reliqua negotia præcipuè
otium impediunt, plus occupent,
atque majoribus sollicitudinibus
animum replent.

3 Ex quo inferimus, sub nego-
tiatione strictè accepta nequa-
quam comprehendi emptionem
rerum, quæ ad nostram atque
familie nostræ sustentationem sunt
necessaria; licet postea, quæ ex
his sunt superflua, iterum ven-

dantur, hanc enim per se licitam
agnovit D. Thomas 2 2. q. 77.
art. 4, cum alijs; cum congruam
sustentationem, non autem ipsum
lucrum respiciat, artificialem em-
ptionem, quæ res emitur, ut com-
mutata per industriam denuo ven-
datur, quod atinet, non est illa
proprie quædam dicta negotiatio
juxta D. Chryostomum c. Eijciens
33. dist. eò quòd res sic empta
per industriam ac artem melior
reddatur, ac velut quoddam ar-
tefactum vendatur.

§. II.

Resolvitur primum Quæsitum.

*Utrum Negotiatio proprie dicta simpliciter respectu omnium
sit illicita?*

4 Dico, eandem ex se esse indif-
ferentem, ita communis cum
Molina de Just. disp. 339. v. de hac
re Lugone disp. 26. sect. 3. n. 22.
prob. quod de se est utile, atque
reipublicæ necessarium, illud non
potest esse illicitum; sed debet ef-
se indifferens: atqui negotiatio
talis ita se habet: prob. m. utile
atque necessarium reipublicæ est,
dari in illa quosdam, qui ex alijs
locis merces, quibus hæc provin-
cia indiget, afferant; cum illas
singuli afferre nequeant: aut qui
à præsentibus emptoribus modò
emant, ut postea singulis, post-
quam ipsi opus habebunt, vendant,

aut denique, qui tempore abun-
dantiæ fructus emant, emptoribus
conservent, ut postmodum tem-
pore penuriæ illas denuo vendant;
cum ergo hæc fiant negotiationi-
bus, infertur, has esse reipublicæ
utiles, atque necessarias.

Prob. 2. Si negotiatio foret il-
licita, vel maxime ratione lucri,
sed ex hoc non est illicita, prob. m.
hoc lucrum est debitum ob in-
dustriam, ob asportationem mer-
cium ob varietatem locorum, nec
non temporum, in quibus premium
variatur, item potest quis rem
emere infimo pretio, ac postea
vendere summo etiam eodem
tam.

tempore : ergo lucrum tale est licitum. 2. Eiusmodi lucrum ob prudentem finem intendi potest : ergo non erit illicitum. prob. ant. finis huius lucri potest esse sustentatio propria, nec non suæ familiæ : item ut illud detur pauperibus in Eleemosynam, & isti fines sunt honesti : ergo potest lucrum ob finem prudentem intendi.

Sicuti autem ex his constat, negotiationem ex se vitiosam non esse, ita pariter certum est, non omnem negotiationem dicendam esse virtutem, sed indifferentem esse : quod optimè agnovit D. Augustinus *c. fornicari*, & *cap. quoniam 28. dist.* in horum priori hoc habet : *fornicari omnibus semper non licet, negotiari verò aliquando licet* : posteriori loco leguntur sequentia : *Noli me prohibere à negotiatione negotiatio enim me non facit malum, sed iniquitas mea, & mendacium meum* : nimirum vitia quæ negotiando interveniunt solent negotiantium esse ; non verò artis atque negotij, quasi sine vitio exerceri non possit.

Ob, juxta D. Chrysostomum vix, aut nunquam, negotiator Deo placere potest : ergo negotiatio non erit licita. prob. conf. si vix aut nunquam negotiator Deo placere potest, tunc erit

expositus periculo proximo peccandi, actus autem, & status expositi periculo proximo peccandi nunquam sunt liciti ; cum nemo versari, & permanere possit in periculo proximo peccandi.

Conf. Negotiatores volunt divites fieri, sed juxta D. Paulum *1. ad Timot. 6.* qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli ergo &c. *2.* conc. ant. neg. conf. in prob. dist. min. si vix placere potest, tunc erit expositus periculo proximo peccandi, si neque mediocriter timoratus ea peccata vitare possit : conc. si etiam mediocriter timoratus ea peccata vitare potest, negatur ant. pericula talia in negotiationibus vel maximè oriuntur ab intrinseca cupiditate subiecti, aut ab alijs circumstantijs ad mercaturam per accidens se habentibus, & hinc periculum duntaxat remotum atque leve causantibus. Ad confirmationem. *2.* dist. Maj. volunt divites fieri per media in se licita ; conc. per media quæcumque sive licita, sive illicita : subd. & hoc per accidens ex nequitia negotiantium : conc. occasione ipsius negotiationis per se ad hæc inducentis : neg. Maj. & sic distincta min. neg. conf.

§. III.

Resolvitur secundum Quæsitum.

An Negotiatio ipsis Clericis, atque Religiosis sit licita?

Dico primò, negotiationem strictè acceptam Clericis, atque Religiosis esse prohibitam. Ita communis, prob. 1. ex can. consequens § 8. dist. cap. finali de vita, & honestate Clericorum, & cap. secundum: ne Clerici, vel Monachi: hic enim Pontifex ait sub interminatione anathematis prohibemus, ne Monachi, vel Clerici causa lucri negotientur: hoc ipsum prohibetur in cap. perlatum est: eadem § 8. dist. cap. placuit 11. quest. 3. cap. Canonum 14. quest. 4. item Tridentinum sess. 22. cap. 1. innovat pœnas varijs in locis Juris Canonici in negotiatores Clericos, atque Religiosos statutas.

Prob. secundò: omne negotium graviter distractivum à cultu Divino est illicitum, vel saltem justè prohibetur hominibus, ratione sui statûs singulari cultui Divino deditis: sed Clerici atque Religiosi sunt ejusmodi homines: ergo illis illicita, vel justè saltem prohibita est negotiatio. Prob. conf. negotiatio propriè dicta solet esse negotium multùm impediens, ac distrahens à cultu Divino: ergo &c.

Dico secundò; multiplicem hanc prohibitionem negotiationis propriè acceptæ, à sacris Canonibus factam, non tantùm leviter, sed sub mortali obligare. Ita Lessius cap. 21. lib. 2. dub. 2. num. 4. Malderus in præsentî tract. 5. cap. 2. dub. 4. Zenedo, Salzedo, Sillas, Turrianus disp. 59. dub. 1. n. 4. Filiucius tom. 2. tract. 35. cap. 1. q. 8. n. 20. Lugo disp. 26. de Just. n. 24. Prob. ratione: Jura non solent pœnas gravissimas censurarum delinquentibus duntaxat leviter imponere: ergo, cum graves censurarum pœnas, excommunicationis scilicet, suspensionis, atque depositionis, amissionis, privilegij, Clericalis, negotiatoribus Clericis, & Religiosis imposuerint, ejusmodi negotiatores debebunt graviter peccare.

Dico tertio, non tamen unam, vel alteram ejusmodi emptionem animò lucrandi factam, secusò scandalò, atque extra maximam summam, fore statim mortalem culpam, ita citati pro superiore conclusione authores contra Azorium 2. tom. lib. 8. cap. 2. quest. 5. Moli.

Molinam, *disp. 342. Rebellum parte 2. lib. 9. q. ultima sect. 2.* generaliter afferentes, negotiationem esse graviter malam. Ratio est, quod fundamentum hujus prohibitionis sit indecentia, quæ in tali negotiatione Religiosorum, aut Clericorum reperibilis est: ergo ubi non datur talis gravis indecentia, neque dabitur grave delictum: atqui in una, vel altera duntaxat negotiatione circa summam neuiquam gravem non reperitur talis gravis, sed levis duntaxat indecentia: ergo neque dabitur peccatum grave.

9 Dico quartò: à prædictis tamen, & citatis juribus non omnem penitus emptionem Ecclesiasticis, atque Religiosis personis interdictam fuisse. Ita communis, Prob. possunt emere quadam animo vendendi eadem alijs, sine tamen lucro. 2. Juxta Molinam *disp. 342. Salas deb. 2. n. 9. Gutierrez præf. Q. lib. 7. q. 93. n. 48. Palaum de statu Rel. disp. 4. pu. 13. §. 3. n. 3.* materiam, vel alia emere licite possunt, ut ea suo labore mutata postmodum vendant; uti legimus fecisse D. Paulum exercendo artem scenofactoriam, uti etiam antiquos Monachos. Ratio horum est: ad negotiationem propriè dictam duo requiruntur, ut emptio fiat animo eam postea vendendi: dein ut fiat animo vendendi rem integram & inmutatam,

Dico quintò: Religiosi conventus procuratori, sine peccato negotiationis, concessum est, aliqua v. g. 50. dolia vini in principio anni pro suis usibus emere, licet pauciora sufficerent; modò ideo plura emat, ne pauciora emendo se exponat periculo emendi postea carius. Insuper, quòd si finito anno superflua quadam fuerint, eadem cariori etiam pretio distrahere poterit, eò quòd ille cum suis hoc cariore pretio constans vinum absumere non velit. Ita Lugo *disp. 26. sect. 3. n. 32.* Molina *tom. 2. de Just. disp. 342. concl. 2.* Saa *verbo Clericus n. 23.* Zenedo, Salas, Palaum *tract. 16. de statu Religioso disp. 4. pu. 13. §. 3. n. 3.* Prob. si hæc animo sincero agantur, dolia vini nequaquam directè comparata fuerunt, ut carius postea venderentur, sed ad proprios Religiosæ communitatis usus; ipsa etenim prudentia dicitur, periculis, quæ occurrere possunt, obviare.

Conf. spes suo tempore vendendi vinum emptum cariori pretio est tantum removens prohibens, & nequaquam finis directus illa emptione intentus: ergo non erit negotiatio. Prob. ant. æconomus non emisset fortassis illa plura dolia vini, nisi illam spem habuisset, quòd denuo vendere possit dolia vini, si quæ fortassis non necessaria, sed superflua adusus monasterij erunt, ergo spes illa vendendi suo tempore

pore

ore carius erat, duntaxat removens prohibens, non autem finis directè intentus.

11 Contra hætenus proposita, & primò quidem specialiter contra primam conclusionem obijcitur: non potest dici, num ista expressè accepta negotiatio sit omnibus omnino Clericis, aut Religiosis interdicta, an solum aliquibus: ergo &c. R. prohibitionem afficere solos Clericos in majoribus constitutos; ratio est, quòd in minoribus constituti negotiando nullam indecentiam committant, eò quòd ad nuptias, & statum omnino Laicum transire possint: interim tamen à *Clementina prima de vita, & honestate Clericorum*. Etiam minoribus Clericis interdictum est, ne per se ipsos officium Carnificis, Tabernarij, vel Macelarij exercent, quòd Religiosos concernit, ex mente Doctorum omnibus, etiam ordinis Clericalis expertibus Religiosis negotiatio propriè dicta interdicta est.

12 Ob. secundò: cùm multi adhuc in minoribus constituti jam sua beneficia habeant, non poterit determinari, num etiam istis negotiatio sit prohibita: ergo &c.

R. cum distinctione; si enim beneficium omnino sufficit ad sustentationem, eisdem probabilis negotiari prohibendum erit, prout sentiunt Vega, Tabiena, Saa, Salas, Molfescius, Belletus, Lugo cum alijs. Prob. etiam isti beneficiati obligati sunt, ut Deo

serviant, & ministerio, atque officio Ecclesiastico se impendant: ergo pariter indecens erit, quòd illi se secularibus curis, ac negotiationibus lucratis impendant, & hac ratione duobus Dominis serviant. Prob. ant. tales beneficiati tenentur recitare, vel canere Divinum officium, item in cæteris Ecclesiæ inservire: ergo &c.

Ob. tertio: juxta nostra principia Clericis, aut Religiosis prohibitum esset emere animalia, ut hæc suorum prædiorum pascuis alant, & saginata postea vendant: ergo non videntur sufficere. R. neg. seq. hæc enim ratione non immutata, sed saginata animalia, consequenter suos tantummodo, & suorum agrorum fructus vendunt: ut autem negotiatio propriè dicta exerceatur, requiritur, ut res ematur, & sic manens immutata carius revendatur: ergo in similibus casibus nulla negotiatio prohibita instituta fuerat; Ita nobiscum judicant Molina, Lessius, Lugo, Layman. *lib. 2. tract. 5. cap. 17. §. 7. sub n. 40.* Mendo *Epitom. opin. moralium: verbo negotiatio num. 1.* Bosenbaum *lib. 3. tract. 5. cap. 3. dub. 8. art. 2.* Octavius Maria à S. Joseph. *in suo repertorio morali: part. 2. interrogat. 875.*

Ob. quartò: vel adductis textibus juris etiam prohibetur Clericis, ac Religiosis emere fundum cum fructibus jam maturis animo istos

istos postea vendendi, vel hoc eisdem conceditur: neutrum videtur dici posse: ergo &c. *¶* licere juxta Molinam, Filiucium, Lugonem, Palaum *n. 3.* Ratio est, in tali casu ager emitur, ut ex hoc tanquam suo colligat fructus, & hos postmodum tanquam rem suam vendat: ergo non emit ipsos fructus immediatè, ac directè, sed solum indirectè, ac mediatè, prout contingeret, si fructus necdum essent maturi.

15 Ob. quintò: non licet absque culpa negotiationis emere venam ferri, ut ex hoc erutum ferrum per se, vel per alios conficiant: ergo &c. Prob. ant. hac emptione intenderetur lucrum ex re postmodum vendita comparandum: ergo non licebit. *¶* cum Molina *cit. disp. 342.* Lugone *n. 30.* negando ant. si una cum vena prædium, cujus pars est vena, comparetur; ratio est, si testamento, aut quodam legato talis vena ferri ad monasterium devolutum fuisset, hæc isti licerent; quia fructus suæ rei distraheret: ergo, cum mediante emptione vena etiam transierit in monasterij dominium, vendendo postea ferrum, fructus suæ rei distrahet, quod utique est licitum; dein hac ratione non immunitas, sed in aliam formam redactas antea res alijs divendunt Religiosi.

16 Ob. 6. Saltem depauperatis, atque indigis Clericis, atque Religiosis concessa erit negotiatio:

ergo &c. *¶* si tantam necessitatem Clericus, aut monasterium patiat, ut aliâ viâ commodè sustentari nequeat, cessaturam in tali necessitate Pontificiam prohibitionem, ita videmus Concilium Elibertinum *cap. 19.* permisisse Clericis per se negotiari intra Provinciam per alios autem extra istam, idem habetur *ex cap. dilecti de decimis*: Ratio hujus est, quia tunc cessat fundamentum prohibitionis, quod fuerat decencia status Clericalis: ergo non videtur talis constitutio tam rigidè obligare, ut etiam urgente tali necessitate obligare pergat. Ita sentiunt Molina *de Jus. disp. 342. §. 3. observat.* Reginald. *tom. 2. sum. lib. 25. cap. 21. §. tertia circumstantia.* Torres, Palao, Lugo citans Navarrum *cap. 25. n. 130.* Sà, & Zerolam, Salas. Hi ipsi concedunt talem negotiationem Clericis ob gravem necessitatem, pupilli, viduæ, aut alterius miserabilis persona.

Ob. septimò: contra tertiam conclusionem cum Palao, & multis alijs Authoribus ab eo *num. 6.* citatis: Clericis & Religiosis prohibita est negotiatio: sed etiam unica emptio atque venditio, & non solum sæpius repetita, jam est aliqua negotiatio: ergo jam unica talis erit prohibita. Prob. min. ex textu *in cap. ejiciens 88. dist. ibi: qui verò rem comparat.* ergo. *¶* d. si majorem, est prohibita negotiatio, quæ exercetur,

Zzz

cui

cui Clericus infistit, & quo vitium quaerit &c. conc. Maj. quaecunque negotiatio, vi cuius non potest Clericus propriè dici exercere negotiationem, neg. Maj. & dist. min. etiam unica talis emptio, atque venditio jam est quaedam negotiatio, propriè dicta, vi cuius possit, & soleat dici aliquis exercere negotiationem, nego: in propriè dicta, conc. min. & neg. conf. quod attinet citatum textum *cap. eiciens*, respondeo id *comparare*, non esse accipiendum pro quacunque comparatione, sed pro saepius repetita: cum ille textus hoc modo explicatus coincidat cum alijs, & leges

odiosæ, atque poenales sint strictè explicandæ.

Ob. octavò: non potest statui, utrum Religiosis, aut Clerico liceat emere uvas, ut per famulos à se conductos vinum postea vendendum exprimant: aut lanas, ut ex his per conductos à se operarios pannum distrahendum inter alios conficiant: ergo, *xy. cum Gobatt in quin: T. 5. c. 11. n. 34.* & hoc teste cum Mariquez, Delbene; nec non cum Lugone *n. 34.* talem negotiationem probabilius non fore illicitam, eò quòd tales Religiosi non venderent solas suas uvas, sed etiam operas ministrorum, quas emerat.

§. IV.

Resolvitur tertium Quæsitum?

An Clericis, aut Religiosis licita sit Negotiatio mediata, sive per alium?

Mediator seu per alium negotiatio instituitur à Clericis, seu Religiosis, si isti solam pecuniam exponant, alij verò suam industriam adjungant; e. g. Monasterium subministrat mercatori Petro quinque millia florenorum, quibus ipse simul cum suis negotetur. Quod ipsum potest duplici modo contingere, primò ut tota cura relinquatur mercatori laico, qui dein lucrum monasterio persolvat: secundò ut mona-

sterium, vel Clericus sibi aliquam curam, hancque majorem, vel minorem retineat, in quantum mercatorem sollicitat, dirigit, instruit, ab hoc rationes exigit, & toti negotiationi quasi superintendit.

Dein quando de licentia talis mediatae negotiationis controversatur, potest moveri quæstio, utrum illa vi ipsius legis naturalis, eò quòd sit contra reverentiam, & decentiam ipsius status? aut po-

stivæ tantum atque Ecclesiasticæ, sit Clericis atque Religiosis prohibita. Ulterius potest adesse, vel abesse iusta quædam causa, similia exercendi.

20 Dico primò: si tota cura, administratio, & necessaria in negotiatione industria, alteri personæ committantur, ita ut Clericus solum lucrum sibi competens recipiat, non fore talem mediatam negotiationem illicitam mortaliter, præsertim si causa aliqua iusta id faciendi habeatur. Ita sentiunt Molina *disp. cit. 342. §. utrum autem*: Lessius *lib. 2. cap. 21. n. 6.* Rebellus *lib. 9. quest. ult. sect. 2.* Joan. Medina, Tabiena, Armilla, Vega, Emanuel, Arragon, Salenius, Valentia, Salas *dub. 2. n. 8.* Malderus, Diana *tom. 1. tract. de contract. resolut. 72.* Layman *lib. 3. de Just. tract. 4. cap. 17. §. 7. n. 4.* Lugo *de Just. disp. 26. sect. 3. n. 36.* contra Ugolinum, Megala, Genuensem, Riccium, Salzedo.

Prob. concl. ejusmodi mediata negotiatio, nec à sacris Canonibus, nec à jure naturali videtur esse prohibita: ergo erit licita. Prob. à jure Canonico solum prohibitum est, ne Clerici per se negotiationem exercent; quia hæc sola continet incommoda, ob quæ Ecclesia ad prohibendam Clericis negotiationem fuit permota; mediata enim, & in alterum totaliter translata negotiatio nullo modo occupat animum, neque à spi-

ritualibus avocatur. Patet hoc sufficienter ex *Clementina 1. de vita, & honest. Cleric*: puniente duntaxat per semetipsum exercentes negotiationem: item ex *cap. significante de appellat. Clement. 1. de statu Monachi*: ex quo inferimus, quod neque venialem culpam vi juris positivi ejusmodi Clerici committant, cum Lex Ecclesiastica casus istos non comprehendat.

Sed neque jus naturale, præsertim, si adsit iusta causa, graviter eandem Clericis prohibet. Prob. si jus naturale ita graviter eandem prohiberet, ratio foret, quia est contra decentiam, ac reverentiam status Sacerdotalis, consequenter scandalosa: atqui hoc videtur esse falsum, si tota cura, & executio relinquatur personæ laicæ: neque scandalo locus erit, si causa aliqua iusta habeatur ejusmodi negotiationem mediatam exercendi.

Confir. scandalum ex eo unice resultare potest, quod indecens videatur, Clericos similibus lucris inhiare, hæc ratio cessat, si causa iusta adsit. Secundò, hæc ratio probaret, non permissum esse Clericis, ut suis patrimonialibus comparent sibi prædia, villas, & agros; nam etiam comparantur animo lucrum ex iisdem faciendi: item omnes agnoscunt fas esse Clericis atque Religiosis habere domos publicas, quas alij locent, vel ad vendendas carnes, vel ad alia negotia in illis exercenda,

da, ut ex ijs reditus aquirant : si itaque ab istis scandalum abest, aberit etiam à prioribus.

Conf. subministrare solam pecuniam negotiatori, quæ tota quantà sæculari ac Laicæ personæ est commissa, non est negotiari propriè loquendo ; nam etiam viri honesti, uti & Matronæ honestæ ita subinde lucrum quærent ; quin dicantur, aut judicentur negotiari : ergo cùm prohibitio in negotiantes sit lata, non extendenda erit à sensu proprio ad improprium.

Dixi autem in conclusione, si *justa causa habeatur* Molina etenim Lessius, atque Lugo volunt, etiam talem mediatam negotiationem improbandam ; quòd parùm decora videatur, si nulla circumstantia excusans habeatur.

21 Uirùm autem absente omni excusante causa, graviter, leviter, aut omnino non peccetur, non explicant. Lugo citato numero 36. insinuat habendam in hoc deo tenlo rationem esse majoris vel minoris curæ, quam in se Clerici, aut Religiosi recipiunt ; si enim tanta sit horum superintendencia in negotiatorem Laicum, ac si Clerici per hunc tanquam suum famulum negotiantur, peccati mortalis eosdem reos citatus Lessius declarat ; in tali etenim casu censentur negotiari per se, quòd legi Ecclesiasticæ graviter repugnat : quod si

aliqualis distractiò, leve scandalum, aut nimia applicatio ex parte Clerici accesserint, à culpa levi per Lessium absolvi Clericus non poterit, posito, quod justa causa ejusmodi negotiationem ab indecoro, quod illi videtur allàs inesse, non eximat. Idem Cardinalis de Lugo n. 34. optimè advertit, in hac re multum facere, & attendendum esse sensum communem ac hominum æstimationem, eò quòd hæc sint moralia : ex hoc dicit provenire, hominibus Ecclesiasticis minùs decens esse, quòd ex lana suorum gregum per operarios conductos pannum, quem vendant, conficiant, licèt ex suis uvis vinum vendendum per famulos suos licètè conficiant ; videtur enim communi æstimationi confectio similium pannorum per operarios conductos non habere connexionem cum venditione fructuum & lanæ, sed esse exercitium diversum : esse insuper minùs decens personas Ecclesiasticas attendere arti diversè texendi pannos : quæ omnia non locum habent in conficiendo ex proprijs uvis vinum, etiam per operarios conductos.

Ob. contra dictam nostram assertionem ; quòd alicui non licet suo nomine, nec alieno licebit *vi regule 67. in 6.* atqui Clericis hæc non licent suo nomine : ergo nec alieno, *sz. dist. Maj.* quod non licet alicui suo nomine, neque lice-

licebit alieno. si alieno nomine actio peracta eadem circumstantias involvat, ob quas non licet suo nomine; conc. Maj. si has non involvat, negatur Maj. & sub eadem distinctione, conc. & neg. conf. ostendimus in probatione nostri asserti, rationes prohibendi negotiationem per se ipsum, non reperiri in negotiatione mediata, cujus nullam omnino curam in se recipit Ecclesiasticus, *q. 2. Neg. suppositum*, quod Clericus alieno nomine; vel secularis nomine Clerici aut Religiosi negotietur: sed secularis nomine suo negotiatur, sumptibus tamen aliquibus à Clerico suppeditatis, qui tamen se nullo modo negotiationi tali se immiscet.

23 Urgebis: reperitur eadem circumstantia & motivum prohibendi negotiationem immediatam, in ipsa quoque negotiatione mediata: ergo nulla distinctio. prob. ant. motivum præcipuum prohibendi negotiationem immediatam Clericis, fuit lucrum: at qui hoc datur etiam in mediata negotiatione: ergo &c. *q. dist. ant.* reperitur eadem tota, adæquata, & præcipua circumstantia in mediata negotiatione, quæ datur in immediata; negatur,

aliqualis, subdist. quæ tamen excusatur, aut diminuitur ex præsentia causæ justæ, conc. ant. quæ non excusetur ex justa causa neg. ant. & conf. non enim solum lucrum est causa totalis, aliàs neque suis patrimonialibus comparare sibi prædia possent.

Urgebis secundò: hoc lucrum ¹⁴ videtur esse principale motivum, non autem quod ex negotiatione propria retrahantur Clerici à cultu divino: ergo nulla solutio. prob. ant. Clerici atque Religiosi antiquis temporibus se exercebant in operibus manualibus, ut ex venditione à se confectorum se possent sustentare: ergo &c. *q. neg. ant. in prob. conc. ant. neg. conf.* illa enim manualis occupatio antiquorum monachorum statuta solum & cultui divino non deputatis temporibus instruebatur: proprio autem nomine, & per se ipsum exercita negotiatio non potest certis duntaxat temporibus exerceri, multòque magis, imò totos occupat negotiantes, ut expectatum lucrum referant; exponit etiam periculis mentendi, defraudandi &c. Empiores, ac venditores, quorum expertes erant operationes manuales primorum monachorum.

Resolvitur quartum Quæsitum.

Quid de presenti casu sit statuendum?

²⁵ **D**ico primò Si æconomus Religiosus non intendit lucrum ex cariore venditione vini in Bavaria venditi, sed vinum præcisè advexit è suevia, ut ex distractione illius obtentâ pecuniâ posset salem emere, suo monasterio ad sustentationem necessariam, sive dein vinum majore, sive æquali, quo ipsi vinum emendum fuerat, venditurus esset, nullam negotiationem præse acceptam, & hinc etiam nullam culpam commisit. Ratio est: ad negotiationem necessariò requiritur, ut eadem res ematur & vendatur carius animo faciendi lucrum.

²⁶ **D**ico secundò: si Monasterium ab initio vinum duntaxat in sui sustentationem & suos usus emit, superfluum autem aliò avexit etiam animo vendendi illud carius, non intercessit quadam propriè dicta negotiatio: prob, vinum licèt carius fuerit venditum animo inde quidpiam lucrandi, non tamen ex hac intentione ab initio comparatum fuerat: ergo eùm ad negotiationem præse sumptam requiratur, ut etiam res empta fuerit animo faciendi lucrum, & hoc non erat factum, non commissa fuerat negotiatio.

²⁷ **D**ico tertio: si Monasterium aded indigum, & depauperatum fuerat, ut aliter commodam sustentationem habere non potuerit, nullam culpam ex hoc æconomus videtur commisisse patet ex dictis; stantibus enim his circumstantijs cessavit prohibitio: prob. lex lata ob decentiam, & in gratiam statûs Clericalis non videtur urgere, quando illius observantia cederet in detrimentum illius: ergo eùm cederet, si urgente tali necessitate monasterio ista non licerent, infertur, quòd hinc & nunc non urgeat.

²⁸ **D**ico quartò: si hac sua emptione, ac venditione impedire solum voluit damnum, quòd equi domi otiosi pabulum consumendo causassent, lucrum in sustentationem equorum applicando; mercedem pro locatis equis solvi consuetam accipiendo; excusatus videtur à vitio negotiationis. prob. absolutè licita est Clericis locatio suorum, quibus indigent, equorum pro consueto pretio: ergo etiam hæc praxis fuerat licita. prob, conf. fuit æquivalenter locatio suorum equorum, plaustrum, & famulorum in commodum ementium postea vinum: ergo, si ob hæc

hæc in locatione licet aliquid exigere, etiam hæc praxis licuit.

29 Dico quintò : si sciens salem leviori pretio in Bavaria comparari posse, quàm in Suevia, intendit hunc emere in Bavaria; ex altera autem parte, ut parceret sumptibus in equos, & aurigas faciendis vino sua plaustra oneraverat, ut lucro ex cariore huius venditione reportando, compensaret expensas modò ennumeratas, etiam à culpa immunis apparet. Ratio est, quòd hac ratione nullum lucrum intenderit, sed industriâ usus fuerit, in procuranda sua æconomia: quod utique omnibus Religiosis, ac Clericis videtur permissum esse.

30 Dico sextò : si præcisè vinum, & salem emerat, ut postmodum illud carius in Bavaria, hoc autem in suevia vendendo lucrum referret, si à praxi, & tolerata consuetudine non excusatus fuerat, videtur exercuisse negotiationem præse dictam. Ratio est, quia verè vinum, & salem emit, ut utramque rem immutat in carius vendendo lucrum referret: quod tamen est Clericis, ac Religiosis, uti vidimus, interdictum.

31 Dixi: nisi eundem praxis & recepta consuetudo talium negotiationum à Clericis exerceri solitarum excusaverint; cum enim juxta mentem Lugonis in his moralibus attendendum sit ad comu-


nem sensum, & æstimationem, si juxta istam talis praxis non habeatur pro negotiatione Clericis illicita, non erit illa pro tali habenda. ex hac ipsa causa juxta Gobatt in quin. t. 5. c. 11. n. 13. approbante De la Croix lib. 3. part. 2. de emptio. n. 999. probabile est, quòd Religiosi possint hordeum emere, ut confectam inde cerevisiam vendant.

32 Multò magis autem in hanc legem peccatum fuerat, si monasterium plures, quàm queis aliàs opus ad ordinariam æconomiam suam ritè administrandam, habuisset, equos coëmisset unice ob hunc finem, ut sæpius in annos singulos vinum in aliam provinciam avehere, atque ex hoc salem, alijs cariore pretio vendendum, advehere posset, lucrum ex hac negotiatione referendum tantummodo intendens; nisi, uti jam insinuavimus, ipsius monasterij indigentia, aut passim introducta consuetudo eandem excusaverint, ut itaque in præsentì controversia certum aliquid statuatur, circumstantiæ, in quibus emptio ac venditio vini, atque salis contingerunt, expendendæ, & postea sententia ferenda erit.

Utrùm autem unica tantum propriè dicta negotiatio dicto modo instituta graviter peccaminosa fuerit definiendum erit ex principijs superius insinuatìs attendendum scilicet erit, num ista uni-

unica negotiatio in magna vel exigua quantitate fuerit : si in magna , an statim mortalis sit dicenda , prout teste Palao *disp. 4. pa. 13. §. 3. n. 5.* defendunt Molina , Morola , Rebellus , Gutti-

rez , aut venialis duntaxat , quam solam agnoscunt alij superius citati & nostro Judicio verosimilius , ex iisdem superius jactis fundamentis erit decidendum.



CASUS XXXVII.

De Mediata Religiosorum Negotiatione.

Religiosus quidam æconomus depauperato cuidam agricolæ omne frumentum, quo ad conferendos luos agros opus habebat , subministrat , hac tamen cum conditione, ut tertiam partem fructuum , quos tempore messis collecturus esset , sibi concederet.

Q. 1. Utrum hic contractus tanquam vera , & propriè dicta negotiatio sit illicitus ?

Q. 2. Num in ratione mutui fuerit licitus ?

Q. 3. Num in ratione locationis & conductionis ?

SYNOPSIS.

§. I.

Resolvitur primum Quæsitum.

Utrum Æconomus commiserit Negotiationem Religiosam illicitam ?

1. Negotiatio propriè dicta Religiosa est illicita.

2. Et talis videtur esse præsens contractus.

3. Affe-